

curius, in officio & magisterio obtinuerit, à Mercurio inchoando. Nam cum Mercurius auctor operis, & magisterij fuerit, natus erit doctor, computator, mercator, nummularius, rerum cognitor & inuentor, stellarumque uires iudicabit, & generaliter in librorum lectionibus, ac eorum expositionibus uersabitur. Si in dignitatibus suis, erit mercator dandi, & accipiendi, In dignitatibus Veneris, erit astrologus, sapiens in iudicijs astrologiae. Quod si Saturnus Mercurio testificetur, sic ut uel Saturnus sit dominus magisterij, & habeat conuenientiam cum Mercurio, uel econtra, erit natus alienarum rerum dispositor, & somniorum interpret, uel in domibus dei occasione alicuius notitiae, seu de diuinatione quae in eo erit, commorabitur. Quod si Iupiter ei testificetur, erit natus auctor legis, sapiens, cum probis etiam hominibus conuersabitur.

Quarto, cum Venus auctoritatem habuerit in opere ac magisterio nati, natus adiunget se ad opera specierum, rerumque aromaticarum, & odoriferarum, seu ad picturas, ad pannorum tincturas uel texturas, uel ad mercaturam, rerum etiam odoriferarum, uti uim florum &c. Quod si Venus testificetur Saturno, & fuerit in sua dignitate, erit eius mercatio in supfluitatibus, & mollitie, eritque deceptor & necromanticus. Quod si ei testificetur Iupiter, natus erit aptus ad magnos honores, eritque magnus iudex, diuitiaeque affluent ex hereditate mulieris.

Quinto, cum Mars fuerit dominus officij, & habuerit aspectum cum Sole, natus erit incensor ignis, & si Mars fuerit in bono statu, ut in bona domo erit foflor auri, uel aurifex. Et si in malo statu fuerit, erit incensor furni, coquus uel balneator, & si non habuerit aspectum cum Sole, nati magisterium ferro tractabitur, ut naues componere, arare, arbores findere, &c. Et si fuerit Mars in dignitatibus Saturni, erit scutellator, uel coquus. In dignitatibus Mercurij uel Lunae erit incisor lapidum & architectus. Quod si Mars testificetur Saturno, natus erit nauigator, natator, & in balneis aquam subministrabit hominibus, aut erit coquus uel pictor. Ad si Iupiter Marti testificetur, erit miles, ac poenarum minister, decimator uel hospes.

Sexto, quae magisteria & officia praedicta tres planetae decernant, dum mixtas sortiuntur naturas. Cum Venus fuerit cum Mercurio, & in officio magisterioque nati dominium obtinuerit, natus exercebit se in musica, & ludis, & cantilenarum inuentionibus, fiet compositor instrumentorum musicalium, maxime cum reperti fuerint Venus & Mercurius in conuenientibus locis, ut Venus in dignitatibus Mercurij, & Mercurius in dignitatibus Veneris, tunc enim natus erit uersificator, ioculator, iocosorum instrumentorum magister, & factor fidium, & pictor, derisor, & incantationum inuentor. Quod si eis scilicet Veneri & Mercurio testificetur Saturnus, natus mercabitur res quibus mulieres adornantur. Si Iupiter, natus erit computator, & semper in locis congregationum hominum, & circa portas regias commorabitur, docebitque pueros, & in rebus uulgi sollicitabitur.

Septimo, si Mars & Mercurius gubernatores fuerint, natus erit doctus in compositione imaginum, & armorum, eritque structor in rebus quibus diuinae domus utuntur, & animalium imagines faciet, eritque luctator, medicus, chirurgus, maleficus, fornicator, & chartarum falsificator. Si Saturnus eis testificetur, erit natus interfector, & aliena uestimenta diripiet, eritque uiarum infestator & in cauernis morabitur. At si Iupiter eis testificetur, bella diliget, armorum rector erit & procurator, & uersipellis, circa extranea sollicitus, lucra ex eis conquirens.

Octauo, si fuerint Venus & Mars domini, natus erit tinctor, & specierum uenditor, auri argentique, ac plumbi magister, ac cum armis iocabitur, ac medicamina conficiet, & erit medicus, & agricola. Si Saturnus eis testificetur, ad immolandum animalia sollicitabitur, mortuos induet, & deflebit funera, & ad sepulchra cantabit. At si Iupiter eis testificetur, in domibus orationum semper commorabitur, & augur existet